
21 £75

SYNOPSIS

NOSOLOGIÆ METHODICÆ.

J. M'Creery, Printer,
Black-Horse-Court, London.



WILLIAM CULLEN, M.D.

late Professor of Medicine at Edinburgh.

...ndon Published March 20th 1815. by E. Cox & Son, St. Thomas's St...

SYNOPSIS
NOSOLOGIÆ METHODICÆ,

EXHIBENS

SYSTEMA NOSOLOGICUM.

AUCTORE

GULIELMO CULLEN, M. D.

T NUPER IN ACAD. EDIN. MED. PRACT. PROF.
ET MEDICO REGIO APUD SCOTOS PRIMARIO,
&c. &c.

EDITIO ALTERA,

N CONCINNIOREM ET COMPRESSIOREM FORMAM
REDACTA.

IN USUM TIRONUM.

LONDINI:

ENEUNT APUD E. COX FILIUMQUE, ST. THOMAS'S
STREET, SOUTHWARK.

1816.

EDITORIS PRÆFATIO.

Cum jam tot editiones hujus operis in lucem prodierunt, harum numero alteram adjicere penitus supervacuum forsan videatur. At quoniam parvula editio vernaculo sermone scripta nuper exierit, quæ a studiosis in medicina, quorum in usum compilata videtur, benigniter excepta est. Plurimi jam desiderati sunt similem editionem ipsis clarissimi auctoris verbis ornatam possidere. Hoc consilio Nosologiæ Culleni textum verbatim argumentis notisque omnibus omissis posuimus; et libellum in eorum usum ita accommodatum, in manus studiosæ juventutis tradimus, non sine spe, nostram quoque parvulam editionem æque benigniter ac altera prædicta fuit exceptam iri.

Londini,
Pridie Calend. Aprilis,
MDCCCXVI.

SERIES

CLASSIUM ET ORDINUM.

CLASSIS I. PYREXIÆ.

ORD. I. FEBRES.
II. PHLEGMASIÆ.
III. EXANTHEMATA.
IV. HÆMORRHAGIÆ.
V. PROFLUVIA.

CL. II. NEUROSES.

ORD. I. COMATA.
II. ADYNAMIÆ.
III. SPASMI.
IV. VESANIÆ.

CL. III. CACHEXIÆ.

ORD. I. MARCORES.
II. INTUMESCENTIÆ.
III. IMPETIGINES.

CL. IV. LOCALES.

Ord. I. Dysæsthesiæ.
II. Dysorexiæ.
III. Dyscinesiæ.
IV. Apocenoses.
V. Epischeses.
VI. Tumores.
VII. Ectopiæ.
VIII. Dialyses.

TABULA

CLASSIUM, ORDINUM, ET GENERUM.

CL. I. PYREXIÆ.

ORD. I. FEBRES.

§. 1. *Intermittentes.*
1 Tertiana.
2 Quartana.
3 Quotidiana.

§ 2. *Continuæ.*
4 Synocha.
5 Typhus.
6 Synochus.

ORD. II. PHLEGMASIÆ.

7 Phlogosis.
8 Ophthalmia.
9 Phrenitis.
10 Cynanche.
11 Pneumonia.
12 Carditis.
13 Peritonitis.
14 Gastritis.
15 Enteritis.
16 Hepatitis.
17 Splenitis.
18 Nephritis.
19 Cystitis.
20 Hysteritis.
21 Rheumatismus.
22 Odontalgia.
23 Podagra.
24 Arthropuosis.

ORD. III. EXANTHEMATA.

25 Variola.
26 Varicella.
27 Rubeola.
28 Scarlatina.
29 Pestis.
30 Erysipelas.
31 Miliaria.
32 Urticaria.
33 Pemphigus.
34 Aphtha.

ORD. IV. HÆMORRHAGIÆ.

35 Epistaxis.
36 Hæmoptysis.
37 Hæmorrhois.
38 Menorrhagia.

ORD. V. PROFLUVIA.

39 Catarrhus.
40 Dysenteria.

CL. II. NEUROSES.

ORD. I. COMATA.

41 Apoplexia.
42 Paralysis.

ORD. II. ADYNAMIÆ.

43 Syncope.
44 Dyspepsia.
45 Hypochondriasis.
46 Chlorosis.

ORD. III. SPASMI.

47 Tetanus.
48 Convulsio.
49 Chorea.
50 Raphania.
51 Epilepsia.
52 Palpitatio.
53 Asthma.
54 Dyspnoea.
55 Pertussis.
56 Pyrosis.

57 Colica.
58 Cholera.
59 Diarrhoea.
60 Diabetes.
61 Hysteria.
62 Hydrophobia.

ORD. IV. VESANIÆ.

63 Amentia.
64 Melancholia.
65 Mania.
66 Oneirodynia.

CL. III. CACHEXIÆ.

ORD. I. MARCORES.

67 Tabes.
68 Atrophia.

ORD. II. INTUMESCENTIÆ.

§ 1. *Adiposæ.*
69 Polysarcia.

§ 2. *Flatuosæ.*
70 Pneumatosis.
71 Tympanites.
72 Physometra.

§ 3. *Aquosæ.*
73 Anasarca.
74 Hydrocephalus.
75 Hydrorachitis.
76 Hydrothorax.
77 Ascites.
78 Hydrometra.
79 Hydrocele.

§ 4. *Solidæ.*
80 Physconia.
81 Rachitis.

ORD. III. IMPETIGINES.

82 Scrophula.
83 Syphilis.
84 Scorbutus.
85 Elephantiasis.
86 Lepra.
87 Framboesia.
88 Trichoma.
89 Icterus.

CL. IV. LOCALES.

ORD. I. DYSÆSTHESIÆ.

90 Caligo.
91 Amaurosis.
92 Dysopia.
93 Pseudoblepsis.
94 Dysecoea.
95 Paracusis.
96 Anosmia.
97 Agheustia.
98 Anæsthesia.

ORD. II. DYSOREXIÆ.

§ 1. *Appetitus Erronei.*
99 Bulimia.
100 Polydipsia.
101 Pica.
102 Satyriasis.
103 Nymphomania.
104 Nostalgia.

§ 2. *Appetitus Deficientes.*
105 Anorexia.
106 Adipsia.
107 Anaphrodisia.

ORD. III. DYSCINESIÆ.

108 Aphonia.
109 Mutitas.
110 Paraphonia.
111 Psellismus.
112 Strabismus.
113 Dysphagia.
114 Contractura.

ORD. IV. APOCENOSES.

115 Profusio.
116 Ephidrosis.
117 Ephiphora.
118 Ptyalismus.
119 Enuresis.
120 Gonorrhoea.

ORD. V. EPISCHESES.

121 Obstipatio.
122 Ischuria.
123 Dysuria.
124 Dyspermatismus.
125 Amenorrhoea.

ORD. VI. TUMORES.

126 Aneurisma.
127 Varix.
128 Ecchymoma.
129 Schirrus.
130 Cancer.
131 Bubo.
132 Sarcoma.
133 Verruca.
134 Clavus.
135 Lupia.
136 Ganglion.
137 Hydatis.
138 Hydarthrus.
139 Exostosis.

ORD. VII. ECTOPIÆ.

140 Hernia.
141 Prolapsus.
142 Luxatio.

ORD. VIII. DIALYSES.

143 Vulnus.
144 Ulcus.
145 Herpes.
146 Tinea.
147 Psora.
148 Fractura.
149 Caries.

NOSOLOGIA CULLENI.

CL. I. PYREXIÆ.

Character.—Post horrorem pulsus frequens, calor major, plures functiones læsæ, viribus præsertim artuum imminutis.

ORD. I. FEBRES.

Prægressis languore, lassitudine, et aliis debilitatis signis, pyrexia, sine morbo locali primario.

SECT. I. INTERMITTENTES.

Febres, miasmate paludum ortæ, paroxysmis pluribus apyrexiâ, saltem remissione evidente interpositâ, cum exacerbatione notabili, et plerumque cum horrore redeuntibus, constantes: Paroxysmo quovis die unico tantum.

GENUS I. TERTIANA.

Paroxysmi similes intervallo quadraginta octo circiter horarum; Accessionibus meridianis.

TERTIANA est vel

I. INTERPOSITA APYREXIA, quæ

1. *Variat paroxysmi duratione.*
   A. Tertiana paroxysmis haud ultra horas duodecim extensis.
   B. Tertiana paroxysmis ultra horas duodecim extensis.
2. *Variat paroxysmorum recursu.*
   C. Tertiana quotidie revertens, paroxysmis inæqualibus, alternis similibus.
   D. Tertiana alternis diebus revertens, paroxysmis eodem die binis.
   E. Tertiana quotidie revertens, paroxysmis altero die binis, altero unico tantum.
   F. Tertiana quotidie revertens, interpositâ remissione inter diem imparem et parem magis, inter parem et imparem minus, notabili.
3. *Variat symptomatibus.*
   G. Tertiana affectibus soporosis stipata.
   H. Tertiana spasmis et motibus convulsivis stipata.
   I. Tertiana efflorescentiâ cutis stipata.
   K. Tertiana phlegmasiâ stipata.
4. *Variat aliis morbis complicata.*
5. *Variat ratione principii.*

II. INTERPOSITA REMISSIONE TANTUM.

G. II. QUARTANA.

Paroxysmi similes intervallo septuaginta duarum circiter horarum: Accessionibus pomeridianis.

Est vel,

I. INTERPOSITA APYREXIA.

1. *Variat typo.*

A. Quartana paroxysmis quarto quoque die singulis; aliis diebus nullis.

B. Quartana paroxysmis quarto quoque die binis; aliis diebus nullis.

C. Quartana paroxysmis quarto quoque die tribus; intermediis diebus nullis.

D. Quartana quæ ex quatuor diebus tertium tantum a febre vacuum habet, paroxysmis quarto quoque die similibus.

E. Quartana quotidie accedens, paroxysmis quarto quoque die similibus.

2. *Variat symptomatibus.*

3. *Variat aliis morbis complicata.*

II. INTERPOSITA REMISSIONE TANTUM.

G. III. QUOTIDIANA.

Paroxysmi similes intervallo viginti quatuor circiter horarum: Paroxysmis matutinis.

I. INTERPOSITA APYREXIA.

1. *Variat solitaria.*

A. Universalis.

Quotidiana eâdem horâ matutinâ rediens.

B. Partialis.

2. *Variat comitata.*

II. INTERPOSITA REMISSIONE TANTUM.

SECT. II. CONTINUÆ.

Febres, sine intermissione, nec miasmate paludum

ortæ, sed cum remissionibus et exacerbationibus, parum licet notabilibus, perstantes: Paroxysmis quovis die binis.

G. IV. SYNOCHA.

Calor plurimum auctus; pulsus frequens, validus, et durus; urina rubra; sensorii functiones parum turbatæ.

G. V. TYPHUS.

Morbus contagiosus; calor parum auctus; pulsus parvus, debilis, plerumque frequens; urina parum mutata; sensorii functiones plurimum turbatæ; vires multum imminutæ.

Species sunt,

I. Typhus (*petechialis*) plerumque cum petechiis.
Variat gradu.
1. *Typhus mitior.*
2. *Typhus gravior.*

II. Typhus (*icterodes*) cum flavedine cutis.

G. VI. SYNOCHUS.

Morbus contagiosus. Febris ex synocha et typho composita, initio synocha, progressu et versus finem typhus.

HECTICA.

Febris quotidie revertens; accessionibus meridianis et vespertinis; remissione, rarius apyrexiâ, matutinâ; plerumque sudoribus nocturnis, et urinâ sedimentum furfuraceo-lateritium deponente.

ORD. II. PHLEGMASIÆ.

Febris synocha; phlogosis; vel dolor topicus, simul læsâ partis internæ functione; sanguis missus, et jam concretus, superficiem coriaceam albam ostendens.

G. VII. PHLOGOSIS.

Pyrexia, partis externæ rubor, calor, et tensio dolens.

Species sunt,

I. Phlogosis *(Phlegmone)* rubore vivido; tumore circumscripto, in fastigium plerumque elevato, sæpe in apostema abeunte: dolore sæpe pulsatili.

1. *Variat formâ.*
2. *Variat sede.*

II. Phlogosis *(Erythema)* colore rubicundo, pressione evanescente; ambitu inæquali, serpente; tumore vix evidente, in cuticulæ squamulas, in phlyctænas vel vesiculas abeunte; dolore urente.

1. *Variat vehementiâ.*
2. *Variat causâ remotâ.*
3. *Variat complicata.*

Phlogosis sequelæ sunt,

Apostema.

Post phlogosin, remittentibus dolore et pulsatione, tumor albescens, mollis, fluctuans, pruriens.

Gangræna.

Post phlogosin, pars livens, mollis, parum sensibilis, sæpe cum vesiculis ichorosis.

SPHACELUS.

Post gangrænam pars nigricans, flaccida, facile lacerabilis, sine sensu vel calore, et cum fœtore carnis putridæ ; vitio celeriter serpente.

G. VIII. OPHTHALMIA.

Rubor et dolor oculi; lucis intolerantia; plerumque cum lachrymatione.

Ophthalmiæ species et varietates sunt,

I. IDIOPATHICÆ.

1. *Ophthalmia* (membranarum) *in tunica adnata, et ei subjacentibus membranis, sive tunicis oculi.*
   A. Variat gradu phlogosis externæ.
   B. Variat affectis tunicis internis.
2. *Ophthalmia* (Tarsi) *cum tumore, erosione, et exudatione glutinosa tarsi palpebrarum.*

II. SYMPTOMATICÆ.

1. *A morbo ipsius oculi.*
2. *A morbis aliarum partium, vel totius corporis.*

G. IX. PHRENITIS.

Pyrexia vehemens; dolor capitis; rubor faciei et oculorum ; lucis et soni intolerantia; pervigilium; delirium ferox vel typhomania.

G. X. CYNANCHE.

Pyrexia aliquando typhodes; rubor et dolor faucium; deglutitio et spiratio difficiles, cum angustiæ in faucibus sensu.

Species sunt,

I. Cynanche *(tonsillaris)* membranam faucium

mucosam, et præcipue tonsillas, tumore et rubore afficiens, cum febre synocha.

II. Cynanche (*maligna*) tonsillas et membranam faucium mucosam afficiens tumore, rubore, et crustis mucosis coloris albescentis vel cineritii, serpentibus, et ulcera tegentibus; cum febre typhode et exanthematis.

III. Cynanche (*trachealis*) respiratione difficili, inspiratione strepente, voce raucâ, tussi clangosâ, tumore fere nullo in faucibus apparente, deglutitione parum difficili, et febre synochâ.

IV. Cynanche (*pharyngea*) cum rubore in imis præsertim faucibus; deglutitione maxime difficili, dolentissima; respiratione satis commoda, et febre synocha.

V. Cynanche (*parotidea*) cum tumore externo parotidum et maxillarum glandularum magno; respiratione et deglutitione parum læsis; febre synocha plerumque leni.

Cynanche *symptomaticæ* sunt.

a. A causis internis.

b. A causis externis.

G. XI. PNEUMONIA.

Pyrexia; dolor in quadam thoracis parte; respiratio difficilis; tussis.

Species sunt,

I. Pneumonia (*peripneumonia*) pulsu non semper duro, aliquando molli; dolore thoracis obtuso; respiratione perpetuò difficili, sæpe non nisi trunco corporis erecto exercendâ; faciei tumidæ colore purpureo; tussi plerumque humidâ, sæpe cruentâ.

1. *Peripneumoniae idiopathicae simplices.*
Variat gradu.
2. *Peripneumoniae idiopathicae complicatae febre.*

II. Pneumonia *(pleuritis)* pulso duro; dolore, plerumque lateris, pungente, sub inspiratione præsertim aucto; decubitu in latus molesto; tussi dolentissimâ, initio siccâ, postea humidâ, sæpe cruentâ.
1. *Pleuritides idiopathicae simplices.*
2. *Pleuritides complicatae.*
a. Febre.
b. Catarrho.
3. *Pleuritides symptomaticae.*
4. *Pleuritides falsae.*

Pneumoniæ sequelæ sunt:

VOMICA.

Post pneumoniam, resolutione quâdam non terminatam, dyspnœa et tussis perstantes, cum decubitu in latus sanum difficili, et febre hectica.

EMPYEMA.

Post pneumoniam suppuratione terminatam, sæpe post vomicam, remissio doloris, dum perstant dyspnœa, tussis, decubitus difficilis, et febris hectica, sæpe cum sensu liquoris in pectore fluctuantis, et signis hydrothoracis.

G. XII. CARDITIS.

Pyrexia; dolor in regione cordis; anxietas; spiritus difficilis; tussis; pulsus inæqualis; palpitatio; syncope.

I. Idiopathica.

II. Symptomatica.

G. XIII. PERITONITIS.

Pyrexia; dolor abdominis, corpore erecto auctus; absque propriis aliarum phlegmasiarum abdominalium signis.

Si signa darentur quibus dignosci queant, sequentes pro speciebus peritonitis recenseri possent.

I. Peritonitis *(propria)* in peritonæo strictius dicto, sive in peritonæo abdomen intus succingente.

II. Peritonitis *(omentalis)* in peritonæo, per omentum extenso.

III. Peritonitis *(mesenterica)* in peritonæo, per mesenterium extenso.

G. XIV. GASTRITIS.

Pyrexia typhodes; anxietas; in epigastrio ardor et dolor, ingestis quibuslibet auctus; vomendi cupiditas et ingesta protinus rejecta; singultus.

I. Idiopathicae.

1. A causis internis.
   A. Gastritis *(phlegmonodea)* dolore acuto, pyrexia vehementi.
2. A causis externis.
   B. Gastritis *(erythematica)* dolore et pyrexiâ lenioribus, rubore erysipelatoso in faucibus apparente.

II. Symptomaticae.

G. XV. ENTERITIS.

Pyrexia typhodes; dolor abdominis pungens, tendens, circa umbilicum torquens; vomitus; alvus pertinaciter adstricta.

I. Idiopathicæ.

Species sunt,

1. *Enteritis* (phlegmonodœa) *dolore acuto, pyrexiâ vehementi, vomitu et alvo astrictâ.*
2. *Enteritis* (erythematica) *dolore et pyrexiâ lenioribus, sine vomitu, et cum diarrhœa.*

II. Species Symptomaticae.

G. XVI. HEPATITIS.

Pyrexia; hypochondrii dextri tensio et dolor, sæpe pungens pleuritici instar, sæpius obtusus; dolor ad claviculam et summum humeri dextri; decubitus in sinistrum latus difficilis; dyspnœa; tussis sicca; vomitus; singultus.

Variat,

I. Acuta, signis in charactere dictis dignoscenda.

II. Chronica. Hæc sæpe nulla quibus dignoscatur signa præbet; aliquando tamen eandem adesse suspicari potest, ex hepatitidis causis quibusdam prægressis, ex sensu quodam plenitudinis et gravitatis in hypochondrio dextro, ex doloribus plus minusve pungentibus in eadem parte subinde perceptis, ex dolore quodam a presso hypochon-

drio dextro vel a decubitu in latus sinistrum sentito, et denique ex pyrexia leviori cum dictis signis subinde infestante.

G. XVII. SPLENITIS.

Pyrexia; hypochondrii sinistri tensio, calor, tumor, et dolor pressu auctus; absque signis nephritidis.

G. XVIII. NEPHRITIS.

Pyrexia; dolor in regione renis, sæpe ureteris iter sequens; mictio frequens urinæ, vel tenuis decoloris, vel ruberrimæ; vomitus; cruris stupor; testiculi ejusdem lateris retractio aut dolor.

Species.

I. Idiopathica. Spontanea.

II. Symptomaticae.

G. XIX. CYSTITIS.

Pyrexia; hypogastrii tumor et dolor; mictio frequens dolorifica, vel ischuria; tenesmus.

Species sunt,

I. A causis internis.

II. A causis externis.

G. XX. HYSTERITIS.

Pyrexia: hypogastrii calor, tensio, tumor, et dolor; os uteri tactu dolens; vomitus.

G. XXI. RHEUMATISMUS.

Morbus ab externa, et plerumque evidente causa; pyrexia; dolor circa articulos, musculorum tractum sequens, genua et reliquos majores, potius quàm pedum vel manuum articulos, infestans, calore externo auctus.

Species *idiopathica*,

Rheumatismus acutus.

Rheumatismus vulgaris.

Variat sede.

A. In musculis lumborum.

B. In musculis coxendicis.

C. In musculis thoracis.

Rheumatismi sequela est.

Arthrodynia.

Post rheumatismum, nisum violentum, vel subluxationem; dolores artuum vel musculorum, sub motu præsertim, aucti, plus minusve fugaces, calore lecti vel alio externo levati; artus debiles, rigidi, facile et sæpe sponte frigescentes; pyrexia nulla; tumor plerumque nullus.

Lumbago et ischias aliquando morbi acuti, sed cùm sæpius chronici sint, plerumque ad hunc locum pertinent.

G. XXII. ODONTALGIA.

Rheumatismus vel arthrodynia maxillarum, a carie dentium.

G. XXIII. PODAGRA.

Morbus hæreditarius, oriens sine causa externa

evidente, sed præeunte plerumque ventriculi affectione insolitâ; pyrexia; dolor ad articulum, et plerumque pedis pollici, certe pedum et manuum juncturis, potissimum infestus; per intervalla revertens, et sæpe cum ventriculi, vel aliarum internarum partium, affectionibus alternans.

Varietates sunt,

I. Podagra (*regularis*) cum inflammatione artuum satis vehementi, per aliquot dies perstante, et paulatim cum tumore, pruritu, et desquamatione partis, recedente.

II. Podagra (*atonica*) cum ventriculi vel alius partis internæ atonia, et vel sine expectata aut solita artuum inflammatione, vel cum doloribus artuum lenibus tantum et fugacibus, et cum dyspepsia vel aliis atoniæ symptomatis, subito sæpe alternantibus.

III. Podagra (*retrograda*) cum inflammatione artuum subito recedente, et ventriculi vel alius partis internæ atonia mox insecuta.

IV. Podagra (*aberrans*) cum partis internæ inflammatione, vel non prægressâ, vel prægressâ, et subito recedente, inflammatione artuum.

Conjungitur aliquando aliis morbis podagra.

G. XXIV. ARTHROPUOSIS.

Dolores artuum vel partium musculosarum, sæpe post contusionem, profundi, obtusi, diuturni; tumor vel nullus, vel modicus, et diffusus; phlogosis nulla; pyrexia primum lenis, tandem hectica, et simul partis apostema.

ORD. III. EXANTHEMATA.

Morbi contagiosi, semel tantum in decursu vitæ aliquem afficientes; cum febre incipientes; definito tempore apparent phlogoses, sæpe plures, exiguæ, per cutem sparsæ.

G. XXV. VARIOLA.

Synocha contagiosa cum vomitu, et, ex epigastrio presso, dolore.

Tertio die incipit, et quinto finitur eruptio papularum phlegmonodearum, quæ, spatio octo dierum, in suppurationem, et in crustas demum abeunt, sæpe cicatrices depressas, sive foveolas in cute, relinquentes.

Species sunt,

I. Variola *(discreta)* pustulis paucis, discretis, circumscriptione circularibus, turgidis; febre, eruptione factâ, protinus cessante.

II. Variola *(confluens)* pustulis numerosis, confluentibus, circumscriptione irregularibus, flaccidis, parum elevatis; febre post eruptionem perstante.

G. XXVI. VARICELLA.

Synocha.

Papulæ post brevem febriculam erumpentes, in pustulas variolæ similes, sed vix in suppurationem, euntes; post paucos dies in squamulas, nullâ cicatrice relictâ, desinentes.

G. XXVII. RUBEOLA.

Synocha contagiosa cum sternutatione, epiphora, et tussi sicca, rauca.

Quarto die, vel paulo serius, erumpunt papulæ exiguæ, confertæ, vix eminentes, et post tres dies in squamulas furfuraceas minimas abeuntes.

I. Rubeola *(vulgaris)* papulis minimis, confluentibus, corymbosis, vix eminentibus.

Variat.

1. *Symptomatis gravioribus, et decursu minus regulari.*
2. *Comitante Cynanche.*
3. *Comitante diathesi putridâ.*

II. Rubeola *(variolodes)* papulis discretis eminentibus.

Scotis, the Nirles.

G. XXVIII. SCARLATINA.

Synocha contagiosa.

Quarto morbi die, facies aliquantum tumens: simul in cute passim rubor floridus, maculis amplis, tandem coalescentibus, post tres dies in squamulas furfuraceas abiens; superveniente dein sæpe anasarcâ.

Species sunt,

I. Scarlatina *(simplex)* nullâ comitante cynanche.

II. Scarlatina *(cynanchica)* cum cynanche ulcerosa.

G. XXIX. PESTIS.

Typhus maxime contagiosa, cum summa debilitate.

Incerto morbi die, eruptio bubonum vel anthracum.

G. XXX. ERYSIPELAS.

Synocha duorum vel trium dierum, plerumque cum somnolentia, sæpe cum delirio.

In aliqua cutis parte, sæpius in facie, phlogosis *erythema*, G. VII. sp. 2.

Species sunt,

I. Erysipelas *(vesiculosum)* erythemate, rubedine serpente, latum spatium occupante, et locis ejus quibusdam in vesiculas magnas abeunte.

III. Erysipelas *(phlyctænodes)* erythemate ex papulis pluribus, trunci corporis partes præcipue occupantibus, et protinus in phlyctænas, sive vesiculas parvas, abeuntibus.

G. XXXI. MILIARIA.

Synochus cum anxietate frequenti suspirio, sudore olido, et punctionibus cutis.

Incerto morbi die erumpunt papulæ rubræ, exiguæ, discretæ, per totam cutem, præter faciem, crebræ, quarum apices, post unum vel alterum diem, pustulas minimas, albas, brevi manentes, ostendunt.

G. XXXII. URTICARIA.

Febris amphimerina.

Die secundo rubores maculosi, urticarum puncturas referentes, interdiu fere evanescentes, vespere cum febre redeuntes, et post paucos dies in squamulas minutissimas penitus abeuntes.

G. XXXIII. PEMPHIGUS.

Typhus contagiosa.

Primo, secundo, aut tertio morbi die, in variis partibus vesiculæ, avellanæ magnitudine, per plures dies manentes, tandem ichorem tenuem effundentes.

G. XXXIV. APHTHA.

Synochus.

Lingua tumidiuscula; linguæ et faucium color purpurascens; escharæ in faucibus et ad linguæ margines primum comparentes, os internum totum demum occupantes, albidæ, aliquando discretæ, sæpe coalescentes, abrasæ cito renascentes, et incerto tempore manentes.

Speciem *idiopathicam* unicam tantum novi:

Aphtha *infantum*.

ORD. IV. HÆMORRHAGIÆ.

Pyrexia cum profusione sanguinis absque vi externa; sanguis missus ut in phlegmasiis apparet.

G. XXXV. EPISTAXIS.

Capitis dolor vel gravitas; faciei rubor; profusio sanguinis e naribus.

I. Idiopathica.

Variat ratione ætatis,

Epistaxis *(juniorum)* cum signis plethoræ arteriosæ.
Epistaxis *(senum)* cum signis plethoræ venosæ.

II. Symptomaticae.

1. *A causis internis.*
2. *A causis externis.*

G. XXXVI. HÆMOPTYSIS.

Genarum rubor; molestiæ aut doloris, et aliquando caloris, in pectore sensus; dyspnœa; titillatio faucium; tussis aut tussicula sanguinem floridum, sæpe spumosum, rejiciens.

Species *idiopathicæ* sunt,

1. Hæmoptysis *(plethorica)* nullâ vi externâ applicatâ, neque prægressa tussi aut evacuationis solitæ suppressione.
2. Hæmoptysis *(violenta)* a vi externa applicata.
3. Hæmoptysis *(phthisica)* post tussim cum macie et debilitate diuturnam.
4. Hæmoptysis *(calculosa)* rejectis simul moleculis calculosis plerumque calcariis.
5. Hæmoptysis *(vicaria)* post evacuationis solitæ suppressionem.

Symptomaticæ sunt,

Hæmoptysis *pneumonica.*
Hæmoptysis *exanthematica.*
Hæmoptysis *hydropica.*
Hæmoptysis *cachectica.*

Hæmoptyseos sequela est

PHTHISIS.

Corporis emaciatio et debilitas, cum tussi, febre

hectica, et plerumque expectoratione purulenta.

Species sunt,

I. Phthisis *(incipiens)* sine expectoratione puris.

II. Phthisis *(confirmata)* cum expectoratione puris.

Variat utraque species,

Ratione causæ remotæ.

Variat ratione fontis purulentæ.

G. XXXVII. HÆMORRHOIS.

Capitis gravitas vel dolor ; vertigo ; lumborum dolor ; dolor ani ; circa anum tubercula livida dolentia, e quibus plerumque profluit sanguis, qui aliquando etiam, nullo tumore apparente, ex ano stillat.

Species sunt,

1. Hæmorrhois *(tumens)* externa a mariscis.

Variat,

A. Cruenta.

B. Mucosa.

2. Hæmorrhois *(procidens)* externa a procidentia ani.

3. Hæmorrhois *(fluens)* interna absque tumore externo, vel procidentia ani.

4. Hæmorrhois *(cæca)* cum dolore et tumore ani, sine profusione sanguinis.

G. XXXVIII. MENORRHAGIA.

Dorsi, lumborum, ventris, parturientium instar, dolores ; menstruorum copiosior, vel sanguinis e vagina præter ordinem fluxus.

Species sunt,

1. Menorrhagia *(rubra)* cruenta in non gravidis nec puerperis.

2. Menorrhagia (*abortûs*) cruenta in gravidis.
3. Menorrhagia (*lochialis*) cruenta in puerperis.
4. Menorrhagia (*vitiorum*) cruenta ex vitio locali.
5. Menorrhagia (*alba*) serosa sine vitio locali in non gravidis.
6. Menorrhagia (*Nabothi*) serosa in gravidis.

Menorrhagiam serosam, sive leucorrhœam ex vitio locali, ad morbos locales referendam esse censeo.

Hæmorrhagiæ sequentes plerumque, si non semper, symptomaticæ sunt.

Stomacace.

Vel scorbuti, vel vitii oris, vel injuriæ externæ, symptoma est.

Hæmatemesis.

Plerumque hæmorrhagiæ solitæ vicaria est, vel vitii ventriculi localis, vel morbi nigri, vel denique vis externæ, symptoma est.

Hæmaturia.

Plerumque calculi renalis, aliquando febrium putridarum symptoma est.

Cystirrhagia.

Plerumque calculi vesicalis, rarius alius morbi vesicæ, symptoma.

ORD. V. PROFLUVIA.

Pyrexia cum excretione aucta, naturaliter non sanguinea.

G. XXXIX. CATARRHUS.

Pyrexia sæpe contagiosa; muci, ex glandulis membranæ narium, faucium, vel bronchiorum, excretio aucta; saltem hujus excretionis molimina.

Species sunt:

Sp. 1. *Catàrrhus a frigore.*
Sp. 2. *Catarrhus a contagio.*

G. XL. DYSENTERIA.

Pyrexia contagiosa; dejectiones frequentes, mucosæ, vel sanguinolentæ, retentis plerumque fæcibus alvinis; tormina; tenesmus.

Variat,

1. Vermibus comitata.
2. Rejectis moleculis carnosis, vel sebaceis.
3. Febre intermittente comitata.
4. Sine sanguine.
5. Miliarià comitata.

CL. II. NEUROSES.

Sensus et motus læsi, sine pyrexia idiopathica, et sine morbo locali.

ORD. I. COMATA.

Motus voluntarii imminuti, cum sopore sive sensuum feriatione.

G. XLI. APOPLEXIA.

Motus voluntarii fere omnes imminuti, cum sopore, plus minus profundo, superstite motu cordis et arteriarum.

Apoplexiæ *idiopathicae* species sunt.

1. Apoplexia (*sanguinea*) cum signis plethoræ universalis, et præcipue capitis.
2. Apoplexia (*serosa*) in corpore, plerumque senum, leucophlegmatico.
3. Apoplexia (*hydrocephalica*) paulatim adoriens; infantes et impuberes, primum lassitudine febriculâ, et dolore capitis, dein pulsu tardiore, pupillæ dilatatione, et somnolentiâ afficiens.
4. Apoplexia (*atrabitaria*) in corpore melancholico,
5. Apoplexia (*traumatica*) a vi externa mechanica, capiti illata.
6. Apoplexia (*venenata*) a potentiis sedantibus interne vel externe adhibitis.
7. Apoplexia (*mentalis*) a pathemate mentis,
8. Apoplexia (*cataleptica*) musculis, sub artuum a vi externa motu, contractilibus.
9. Apoplexia (*suffocata*) a potentia externa suffocante.

Apoplexia sæpe *symptomatica* est,

1. Febris intermittentis.

2. Febris continuæ.
3. Phlegmasiæ.
4. Exanthematis.
5. Hysteriæ.
6. Epilepsiæ.
7. Podagræ.
8. Vermium.
9. Ischuriæ.
10. Scorbuti.

G. XLII. PARALYSIS.

Motus voluntarii nonnulli tantum imminuti, sæpe cum sopore.

I. Species *idiopathicæ* sunt,

1. Paralysis *(partialis)* quorundam musculorum tantum.
2. Paralysis *(hemiplegica)* alterius corporis lateris.

   Variat ratione habitûs corporis.

   a. Hemiplegia in habitu plethorico.

   b. Hemiplegia in habitu leucophlegmatico.
3. Paralysis *(paraplegica)* dimidii corporis transversim sumpti.
4. Paralysis *(venenata)* a potentiis sedantibus externe vel interne adhibitis.

II. Species *symptomaticae* sunt.

Tremorem, utpote semper symptomaticum, in numerum generum recipere nollem; species autem a Sauvagesio recensitas, prout mihi vel Astheniæ vel Paralysios, vel convulsionis symptomata esse videntur, hic subjungam.

TREMOR.

Artûs alterna per itus et reditus frequentes motitatio.

1. Species asthenicæ.
2. Species paralyticæ.
3. Species convulsivæ.

ORD. II. ADYNAMIÆ.

Motus involuntarii, sive vitales sive naturales imminuti.

G. XLIII. SYNCOPE.

Motus cordis imminutus, vel aliquamdiu quiescens,

I. *Idiopathicæ.*

1. Syncope *(cardiaca)* sine causa manifesta sæpe rediens, cum palpitatione cordis vehementi in intervallis: *Ex vitio cordis vel vasorum vicinorum.*
2. Syncope *(occasionalis)* a causa manifesta oriens: *Ex affectione totius systematis.*

II. *Symptomaticæ,* sive symptomata morborum vel totius systematis, vel aliarum præter cor partium.

G. XLIV. DYSPEPSIA.

Anorexia, nausea, vomitus, inflatio, ructus, ruminatio, cardialgia, gastrodynia, pauciora saltem vel plura horum simul concurrentia, plerumque cum alvo adstricta, et sine alio vel ventriculi ipsius, vel aliarum partium, morbo.

I. Idiopathicæ.

II. Symptomaticæ.

1. A morbo ipsius ventriculi.
2. A morbo aliarum partium vel totius corporis.

G. XLV. HYPOCHONDRIASIS.

Dyspepsia cum languore, mœstitia, et metu, ex causis non æquis, in temperamento melancholico.

G. XLVI. CHLOROSIS.

Dyspepsia, vel rei non esculentæ desiderium ; cutis pallor vel decoloratio ; venæ minus plenæ, corporis tumor mollis ; asthenia ; palpitatio ; menstruorum retentio.

ORD. III. SPASMI.

Musculorum vel fibrarum muscularium motus abnormes.

G. XLVII. TETANUS.

Plurium musculorum rigiditas spastica.
Variat gradu
I. Tetanus.
Dimidium vel totum corpus spasmis affectum.
Variat autem ratione causæ remotæ, quatenus nimirum vel a causa interna, vel a frigore, vel a vulnere oriatur.
Variat etiam quâvis causâ ortus ratione partis corporis affectæ.
II. Trismus. Præcipue maxillæ inferioris Spastica rigiditas.
Species sunt,
a. Trismus (*nascentium*) infantes intra duas primas a nativitate septimanas corripiens.
b. Trismus (*traumaticus*) omnium ætatum a vulnere vel frigore.

G. XLVIII. CONVULSIO.

Musculorum contractio clonica, abnormis, citra soporem.

I. IDIOPATHICÆ.

II. SYMPTOMATICÆ.

G. XLIX. CHOREA.

Impuberes utriusque sexus, ut plurimum intra decimum et decimum quartum ætatis annum adorientes, motus convulsivi ex parte voluntarii, plerumque alterius lateris, in brachiorum et manuum

motu, histrionum gesticulationes referentes; in gressu, pedem alterum sæpius trahentes quàm attollentes.

G. L. RAPHANIA.

Articulorum contractio spastica, cum agitatione convulsiva, dolore violentissimo, periodico.

G. LI. EPILEPSIA.

Musculorum convulsio cum sopore.

Species *idiopathicæ* sunt,

1. Epilepsia *(cerebralis)* sine causa manifesta subito adoriens; prægressâ nullâ sensatione molestâ, nisi fortassis vertiginis vel scotomiæ alicujus.
2. Epilepsia *(sympathica)* sine causa manifesta; sed prægressâ sensatione auræ cujusdam a parte corporis quadam versus caput assurgentis.
3. Epilepsia *(occasionalis)* ab irritatione manifesta oriens, et ablatâ irritatione cessans.

Variat pro diversitate irritamenti, et hinc

a. Ab injuria capiti illata.
b. A dolore.
c. A vermibus.
d. A veneno.
e. A scabie, vel alia acris humoris effusione retropulsa.
f. A cruditate ventriculi.
g. A pathemate mentis.
h. Ab hæmorrhagia nimia.
i. A debilitate.

Sect. II. In Functionibus Vitalibus.

A. *In actione cordis.*

G. LII. PALPITATIO.

Motus cordis vehemens, abnormis.

Palpitatio *(cardiaca)* fere constans, saltem sæpe rediens, sine alio morbo evidente.

B. *In actione pulmonum.*

G. LIII. ASTHMA.

Spirandi difficultas per intervalla subiens; cum angustiæ in pectore sensu, et respiratione cum sibilo strepente: tussis sub initio paroxysmi difficilis, vel nulla, versus finem libera, cum sputo muci sæpe copioso.

a. Species *idiopathicæ* sunt,

1. Asthma *(spontaneum)* sine causa manifesta, vel alio morbo comitante.
2. Asthma *(exanthematicum)* a scabie vel alia acris effusione retropulsa.
3. Asthma *(plethoricum)* a suppressa evacuatione sanguinis antea solita, vel a plethora spontanea.

b. Species *symptomaticæ.*

G. LIV. DYSPNŒA.

Spirandi difficultas perpetua, sine angustiæ, et potius cum repletionis et infarctûs in pectore, sensu. Tussis per totum morbi decursum frequens.

Species *idiopathicæ* sunt,

1. Dyspnœa (*catarrhalis*) cum tussi frequente, mucum viscidum copiosum ejiciente.
2. Dyspnœa (*sicca*) cum tussi plerumque sicca.
3. Dyspnœa (*aërea*) a minima quavis tempestatum mutatione aucta.
4. Dyspnœa (*terrea*) cum tussi materiem terream vel calculosam ejiciente.
5. Dyspnœa (*aquosa*) cum urina parca et œdemate pedum, sine fluctuatione in pectore, vel aliis characteristicis hydrothoracis signis.
6. Dyspnœa (*pinquedinosa*) in hominibus valde obesis.
7. Dyspnœa (*thoracica*) a partibus thoracem cingentibus læsis, vel male conformatis.
8. Dyspnœa (*extrinseca*) a causis externis manifestis.

Dyspnœæ species *symptomaticæ* sunt symptomata,

1. Morborum cordis, vel vasorum majorum.
2. Tumoris abdominalis.
3. Variorum morborum.

G. LV. PERTUSSIS.

Morbus contagiosus ; tussis convulsiva, strangulans, cum inspiratione sonora, iterata ; sæpe vomitus.

Sect. III. In Functionibus Naturalibus.

G. LVI. PYROSIS.

Epigastrii dolor urens, cum copia humoris aquei, plerumque insipidi, aliquando acris, eructata.

SCOTIS, the Water-Brash.
1. Species unica vera.
2. Species symptomaticæ.

G. LVII. COLICA.

Dolor abdominis, præcipue circa umbilicum torquens; vomitus; alvus adstricta.

Species *idiopathicæ* sunt,

1. Colica (*spasmodica*) cum retractione umbilici et spasmis musculorum abdominalium.

Variat symptomatis superadditis; hinc,

a. Colica cum vomitu stercoris, vel rerum per anum injectarum.
b. Colica cum inflammatione superveniente.

2. Colica (*pictonum*) præeunte ponderis vel molestiæ in abdomine, præcipue circa umbilicum, sensu: accedente dolore colico, primum levi, non continuo, et præcipue post pastum aucto; tandem graviore et fere perpetuo; cum dolore brachiorum, et dorsi, in paralysin demum abeunte.

Variat ratione causæ remotæ; et hinc

a. A veneno metallico.
b. Ab acidis ingestis.
c. A frigore.
d. A contusione dorsi.

3. Colica (*stercorea*) in hominibus alvi tardæ, post diuturnam alvi obstipationem.
4. Colica (*accidentalis*) a materie acri ingesta.
5. Colica (*meconialis*) neophytorum a meconio retento.
6. Colica (*callosa*) cum sensu in quadam intestinorum parte stricturæ, et sæpe ante eam

collecti flatûs cum aliquo dolore, qui flatus etiam per eandem paulatim transiens evanescit alvo tardâ, et tandem non nisi fæces paucas liquidas egerente.

7. Colica *(calculosa)* cum duritie in quadam parte abdominis fixa; calculis quondam per anum dejectis.

Colicæ *symptomaticæ* sunt.

G. LVIII. CHOLERA.

Humoris biliosi vomitus ejusdem simul dejectio frequens; anxietas; tormina; surarum spasmata.

a. Species *idiopathicæ* sunt.

1. Cholera *(spontanea)* tempestate calidâ, sine causa manifesta oboriens.
2. Cholera *(accidentalis)* a rebus acribus ingestis.

b. Choleræ *symptomaticæ*.

G. LIX. DIARRHŒA.

Dejectio frequens; morbus non contagiosus, pyrexia nulla primaria.

I. Species *idiopathicæ* sunt.

1. Diarrhœa *(crapulosa)* qua stercora naturalibus liquidiora et majori copiâ dejiciuntur.
2. Diarrhœa *(biliosa)* qua fæces flavæ magnâ copiâ dejiciuntur.
3. Diarrhœa *(mucosa)* qua, vel ab acribus ingestis, vel a frigore, præcipue pedibus applicato mucus copiosus dejicitur.
4. Diarrhœa *(cœliaca)* qua humor lacteus specie chyli dejicitur.

5. Diarrhœa *(lienteria)* qua ingesta parum muta-
ta celeriter dejiciuntur.
6. Diarrhœa *(hepatirrhœa)* qua matieres seroso-
cruenta, sine dolore dejicitur.

II. *Symptomaticæ.*

G. LX. DIABETES.

Urinæ plerumque præternaturalis, copiâ immodicâ, profusio chronica.

a. Species *idiopathicæ* sunt,

I. Diabetes *(mellitus)* cum urina odoris, coloris, et saporis mellei.

II. Diabetes *(insipidus)* cum urina limpida non dulci.

b. *Symptomaticæ.*

G. LXI. HYSTERIA.

Ventris murmura: sensus globi in abdomine se volventis, ad ventriculum et fauces ascendentis, ibique strangulantis; sopor; convulsiones; urinæ limpidæ copia profusa; animus, nec sponte, varius et mutabilis.

Quatenus specie differat hysteria idiopathica, dicere non possum, nec, ut opinor, recte dixit Sauvagesius. Species enim ab eo recensitæ non, nisi ratione causæ remotæ, varietates esse mihi videntur. Ita habet,

A. Ab emansione mensium.
B. A menorrhagia cruenta.
C. A menorrhagia serosa, sive fluore albo.
D. A viscerum obstructione.
E. A vitio stomachi.
F. A salacitate nimia.

Symptomaticæ.

G. LXII. HYDROPHOBIA.

Potionis cujuslibet, utpote convulsionem pharyngis dolentem cientis, fastidium et horror; plerumque e morsu animalis rabidi.

Species sunt,

I. Hydrophobia *(rabiosa)* cum mordendi cupiditate, ex morsu animalis rabidi.

II. Hydrophobia *(simplex)* sine rabie, vel mordendi cupiditate.

ORD. IV. VESANIÆ.

Mentis judicantis functiones læsæ sine pyrexia vel comate.

G. LXIII. AMENTIA.

Mentis judicantis imbecillitas, qua homines rerum relationes, vel non percipiunt, vel non reminiscuntur.

Species sunt,

I. Amentia *(congenita)* a nativitate constans.

II. Amentia *(senilis)* ex perceptione et memoria, ingravescente ætate, imminutis.

III. Amentia *(acquisita)* a causis externis evidentibus hominibus sanæ mentis superveniens.

G. LXIV. MELANCHOLIA.

Insania partialis sine dyspepsia.

Variat pro varietate rerum de quibus homo delirat. Ita est,

1. Cum hallucinatione de statu corporis sui a levibus causis periculoso; vel de statu rerum suarum tristi metuendo.
2. Cum hallucinatione de statu rerum suarum jucundo.
3. Cum amore vehementi sine satyriasi vel nymphomania.
4. Cum superstitioso futurorum metu.
5. Cum aversatione motûs et omnium vitæ officiorum.
6. Cum inquietudine et statûs cujusvis impatientia.
7. Cum tædio vitæ.
8. Cum hallucinatione de suæ speciei natura.

Dæmonomaniam nullam veram esse censeo, et nostrâ sententiâ species sub hoc titulo a Sauvagesio recensitæ sunt.

G. LXV. MANIA.

Insania universalis.

1. Mania (*mentalis*) omnino a pathemate mentis.
2. Mania (*corporea*) a vitio corporis evidente.

Variat pro varietate vitii corporis.

3. Mania (*obscura*) prægresso nullo vel pathemate mentis, vel vitio corporis evidente,

Maniæ species *symptomaticæ* sunt,

1. Paraphrosyne a venenis.
2. Paraphrosyne febrilis.

G. LXVI. ONEIRODYNIA.

In somno imaginatio vehementior vel molesta.

1. Oneirodynia *(activa)* excitans ad ambulationem, et motus varios.
2. Oneirodynia *(gravans)* ex sensu ponderis alicujus incumbentis, et pectus præcipue comprimentis.

CL. III. CACHEXIÆ.

Totius vel magnæ partis corporis habitus depravatus; sine pyrexia primaria vel neurosi.

ORD. I. MARCORES.

Corporis totius macies.

G. LXVII. TABES.

Marcor; asthenia; pyrexia hectica:
Species sunt,

1. Tabes *(purulenta)* ex ulcere externo vel interno, vel ex vomica.
   Variat sede.
2. Tabes *(scrophulosa)* in corporibus scrophulosis.
3. Tabes *(venenata)* a veneno ingesto.

G. LXVIII. ATROPHIA.

Marcor et asthenia, sine pyrexia hectica.

Species sunt,

1. Atrophia *(inanitorum)* ex evacuatione nimia.
2. Atrophia *(famelicorum)* a nutrimento deficiente.
3. Atrophia *(cacochymica)* a nutrimento corrupto.
4. Atrophia *(debilium)* a nutritionis functione depravata, prægressâ nulla vel evacuatione nimiâ, vel cacochymiâ.

ORD. II. INTUMESCENTIÆ.

Totum vel magna corporis pars extrorsum tumens.

Sect. I. *ADIPOSÆ.*

G. LXIX. POLYSARCIA.

Corporis pinguedinosa intumescentia molesta. Species unica.

Sect. II. *FLATUOSÆ.*

G. LXX. PNEUMATOSIS.

Corporis intumescentia tensa, elastica, sub manu crepitans.

Species sunt,

1. Pneumatosis *(spontanea)* sine causa manifesta.
2. Pneumatosis *(traumatica)* a vulnere thoracis.

3. Pneumatosis *(venenata)* a veneno injecto vel applicato.
4. Pneumatosis *(hysterica)* cum hysteria.

G. LXXI. TYMPANITES.

Abdominis intumescentia tensa, elastica, sonora; alvus adstricta; cæterarum partium macies.

Species sunt,

1. Tympanites *(intestinalis)* cum tumore abdominis sæpe inæquali, et cum rejectione aëris frequenti, tensionem et dolorem levante.
2. Tympanites *(abdominalis)* cum resonitu evidentiore, tumore magis æquabili, et emissione flatuum rariori et minus levante.

G. LXXII. PHYSOMETRA.

Tumor levis, elasticus, in hypogastrio figuram et sedem uteri referens.

Sect. III. *AQUOSÆ, sive HYDROPES.*

G. LXXIII. ANASARCA.

Corporis totius vel partis ejus intumescentia mollis, inelastica.

Species sunt,

1. Anasarca *(serosa)* a retento sero ob evacuationes solitas suppressas, vel ab aucto sero ob ingestam aquam nimiam.
2. Anasarca *(oppilata)* a compressione venarum.

3. Anasarca *(exanthematica)* post exanthemate, et præcipue post erysipelas, suborta.
4. Anasarca *(anæmia)* a tenuitate sanguinis per hæmorrhagiam producta.
5. Anasarca *(debilium)* in debilibus a morbis longis, vel ab aliis causis.

G. LXXIV. HYDROCEPHALUS.

Capitis intumescentia mollis, inelastica, hiantibus cranii suturis.
Species unica.

G. LXXV. HYDRORACHITIS.

Tumor supra vertebras lumborum, mollis, exiguus, hiantibus vertebris.

G. LXXVI. HYDROTHORAX.

Dyspnœa; faciei pallor; pedum œdemata; urina parca; decubitus difficilis; subita et spontanea ex somno cum palpitatione excitatio; aqua in pectore fluctuans.

G. LXXVII. ASCITES.

Abdominis intumescentia tensa, vix elastica, sed fluctuosa.
Species sunt,
1. Ascites *(abdominalis)* cum tumore totius abdominis æquali, et cum fluctuatione satis evidente.
   Variat ratione causæ.

A. Ab oppilatione viscerum.
B. A debilitate.
C. A tenuitate sanguinis.

Variat etiam ratione liquidi effusi.

2. Ascites (*saccatus*) cum tumore abdominis, saltem initio, partiali, et cum fluctuatione minus evidente.

G. LXXVIII. HYDROMETRA.

Hypogastrii in mulieribus paulatim crescens tumor; uteri figuram referens, pressui cedens fluctuansve; citra ischuriam et graviditatem.

Species per externa signa distinguendæ vix dari possunt.

G. LXXIX. HYDROCELE.

Tumor scroti non dolens, paulatim crescens, mollis, fluctuans, pellucidus.

Sect. IV. *SOLIDÆ.*

G. LXXX. PHYSCONIA.

Tumor quandam abdominis partem potissimum occupans, paulatim crescens, nec sonora, nec fluctuans.

G. LXXXI. RACHITIS.

Caput magnum anterius maxime tumens; genicula tumida; costæ depressæ; abdomen tumidum; cætera marcescentia.

Variat,

1. Simplex sine alio morbo.
2. Aliis morbis conjuncta.

ORD. III. IMPETIGINES.

Cachexiæ, cutem et externum corpus præcipue deformantes.

G. LXXXII. SCROPHULA.

Glandularum conglobatarum, præsertim in collo, tumores; labium superius et columna nasi tumida; facies florida, cutis lævis; tumidum abdomen.

Species sunt,

1. Scrophula *(vulgaris)* simplex, externa, permanens.
2. Scrophula *(mesenterica)* simplex, interna, cum pallore faciei, inappetentia, tumore abdominis, et fœtore fæcum insolito.
3. Schrophula *(fugax)* simplicissima, et tantum circa collum, plerumque a resorptione ex ulceribus capitis proveniens.
4. Scrophula *(Americana)* cum frambœsia conjuncta.

G. LXXXIII. SYPHILIS.

Morbus contagiosus, post concubitum impurum et genitalium morbum, ulcera tonsillarum; cutis, præsertim ad marginem capillitii, papulæ corym-

bosæ, in crustas et in ulcera crustosa abeuntes; dolores ostocopi; exostoses.

G. LXXXIV. SCORBUTUS.

In regione frigida post victum putrescentem, salitum, ex animalibus confectum, deficiente simul materiâ vegetabili recente; asthenia; stomacace; in cute maculæ diversicolores, plerumque livescentes, præsertim ad pilorum radices.
Variat gradu.
Variat etiam symptomatibus.

G. LXXXV. ELEPHANTIASIS.

Morbus contagiosus; cutis crassa, rugosa, aspera, unctuosa, pilis destituta; in extremis artubus anæsthesia; facies tuberibus deformis; vox rauca et nasalis.

G. LXXXVI. LEPRA.

Cutis escharis albis, furfuraceis, rimosis, aspera, aliquando subtus humida, pruriginosa.

G. LXXXVII. FRAMBŒSIA.

Fungi, mori, vel rubi idæi fructus referentes, in variis cutis partibus enati.

G. LXXXVIII. TRICHOMA.

Morbus cantagiosus, capilli solito crassiores, in cirrhos et funiculos inextricabiles implicati.

G. LXXXIX. ICTERUS.

Flavedo cutis et oculorum, fæces albidæ: urina obscurè rubra, immissa colore luteo tingens.

Species *idiopathicæ* sunt,

1. Icterus (*calculosus*) cum dolore in regione epigastrica acuto, post pastum aucto, et cum dejectione concretionum biliosarum.
2. Icterus (*spasmodicus*) sine dolore, post morbos spasmodicos et pathemata mentis.
3. Icterus (*hepaticus*) sine dolore, post morbos hepatis.
4. Icterus (*gravidarum*) sub graviditate oriens, et post partum abiens.
5. Icterus (*infantum*) in infantibus haud diu post natales oriens.

Species *symptomaticæ*.

CL. IV. LOCALES.

Partis, non totius corporis, affectio.

ORD. I. DYSÆSTHESIÆ.

Sensus depravati aut deleti, ex organorum externorum vitio.

G. XC. CALIGO.

Visus imminutus, vel prorsus abolitus, ob repagulum opacum, inter objecta et retinam, oculo ipso vel palpebris inhærens.

Species sunt,

1. Caligo *(lentis)* ob maculam opacam pone pupillam.
2. Caligo *(corneæ)* ob corneam opacam.
3. Caligo *(pupillæ)* ob obstructam pupillam.
4. Caligo *(humorum)* ob vitium vel defectum humoris aquei.
5. Caligo *(palpebrarum)* ob vitium palpebris inhærens.

G. XCI. AMAUROSIS.

Visus imminutus vel prorsus abolitus, sine vitio oculi evidente; plerumque cum pupilla dilatata et immobili.

Species sunt,

1. Amaurosis *(compressionis)* post causas et cum signis congestionis in cerebro.
2. Amaurosis *(atonica)* post causas et cum signis debilitatis.
3. Amaurosis *(spasmodica)* post causas et cum signis spasmi.
4. Amaurosis *(venenata)* a veneno ingesto vel applicato.

G. XCII. DYSOPIA.

Visus depravatus, ita ut non nisi certâ luce, vel ad certam distantiam, vel in certa positura, objecta clarè videantur.

Species sunt,

1. Dysopia *(tenebrarum)* in qua non nisi in magna luce objecta videntur.
2. Dysopia *(luminis)* in qua non nisi in obscura luce objecta videntur.
3. Dysopia *(dissitorum)* in qua longè distantia non videntur.
4. Dysopia *(proximorum)* in qua proxima non videntur.
5. Dysopia *(lateralis)* in qua non nisi obliquè posita videntur.

G. XCIII. PSEUDOBLEPSIS.

Visus depravatus, ita ut quæ non existant homo se videre imaginatur, vel quæ existunt aliter videt ac revera se habeant.

Species sunt.

1. Pseudoblepsis *(imaginaria)* in qua quæ non existunt conspici videntur.
2. Pseudoblepsis *(mutans)* in qua objecta revera existentia aliquomodo mutata apparent.

G. XCIV. DYSECŒA.

Auditus imminutus vel abolitus.

Species sunt,

1. Dysecœa *(organica)* ob vitium in organis sonos ad internam aurem transmittentibus.
2. Dysecœa *(atonica)* sine organorum sonos transmittentium vitio evidente.

G. XCV. PARACUSIS.

Auditus depravatus.

Species sunt,

1. Paracusis *(imperfecta)* in qua soni ab externis venientes percipiuntur, non autem accurate vel cum solitis conditionibus.
   Variat,
   a. Cum auditu gravi.
   b. Cum auditu nimis sensibili.
   c. Cum sono unico externo a causis internis duplicato.
   d. Soni quos homo audire velit, nisi sono alio vehementi simul excitato non audiuntur.
2. Paracusis *(imaginaria)* in qua soni extrinsecus non existentes ab internis causis excitantur.

G. XCVI. ANOSMIA.

Olfactus imminutus vel abolitus.
Species sunt,
1. Anosmia *(organica)* ob vitium in membrana nares internas investiente.
2. Anosmia *(atonica)* sine vitio membranæ narium evidente.

G. XCVII. AGHEUSTIA.

Gustus imminutus vel abolitus.
Species sunt,
1. Agheustia *(organica)* ob vitium in membrana linguæ, a nervis sapida arcens.
2. Agheustia *(atonica)* sine vitio linguæ evidente.

G. XCVIII. ANÆSTHESIA.

Tactus imminutus vel abolitus.

ORD. II. DYSOREXIÆ.

Appetitus erroneus vel deficiens.

Sect. I. *APPETITUS ERRONEI.*

G. XCIX. BULIMIA.

Appetitus esculentorum majori copiâ quàm quæ digeri possit.

Species *idiopathicæ* sunt,

1. Bulimia *(belluonum)* sine morbo ventriculi, cibi majorem solitâ copiam appetens.
2. Bulimia *(syncopalis)* cibum frequenter appetens, ob sensum famis syncopen minitantis.
3. Bulimia *(emetica)* cibum magnâ copiâ appetens, et mox per vomitum rejiciens.

Species *symptomaticæ.*

G. C. POLYDIPSIA.

Appetitus majoris solita copiæ potulentorum.

Polydipsia fere semper symptomatica est, et variat tantum pro varietate morborum quos comitatur.

G. CI. PICA.

Desiderium non esculenti ingerendi.

G. CII. SATYRIASIS.

In maribus effrænis veneris cupiditas.

Species sunt,

1. Satyriasis *(juvenilis)* cum veneris cupiditate præter modum vehementi, corpore simul parum perturbato.
2. Satyriasis *(furens)* cum veneris cupiditate effræni, corpore simul multum perturbato.

G. CIII. NYMPHOMANIA.

In fœminis effræne veneris desiderium.
Nymphomaniæ species unica est, et gradu tantum varians.

G. CIV. NOSTALGIA.

In absentibus a patria, vehemens eandem revisendi desiderium.
Species sunt,
1. Nostalgia *(simplex)* sine alio morbo.
2. Nostalgia *(complicata)* aliis morbis comitata.

Sect. II. *APPETITUS DEFICIENTES.*

G. CV. ANOREXIA.

Appetitus esculentorum deficiens.
Species sunt,
1. Anorexia *(humoralis)* ab humore ventriculum gravante.
2. Anorexia *(atonica)* ob tonum fibrarum ventriculi amissum.

G. CVI. ADIPSIA.

Appetitûs potulentorum suppressio, sive sitis feriatio.

Adipsiam sine alio morbo, qualis est
Adipsia primaria, S. sp. 1.
Pro morbo habere nollem; omnemque adipsiam pro sympathica, sive symptomate morbi cujusdam, sensorium commune afficientis, habeo; ideoque non ad Locales referendi.

G. CVII. ANAPHRODISIA.

Libidinis defectus, vel veneris impotentiâ.

ORD. III. DYSCINESIÆ.

Motus impediti vel depravati ex organorum vitio.

G. CVIII. APHONIA.

Vocis plena suppressio, citra coma aut syncopen.
Species sunt.

1. Aphonia *(gutturalis)* a tumefactis faucibus et glottide.
2. Aphonia *(trachealis)* a compressa trachea.
3. Aphonia *(atonica)* a nervis laryngis resectis.

G. CIX. MUTITAS.

Verba articulandi impotentia.
Species sunt,

1. Mutitas *(organica)* ex lingua ablata vel vitiata.
2. Mutitas *(atonica)* ex nervis linguæ læsis.

3. Mutitas *(surdorum)* ex surditate congenita, vel puerilibus annis aborta.

G. CX. PARAPHONIA.

Vocis sonus depravatus.

Species sunt,

1. Paraphonia *(puberum)* in qua, circa pubertatis tempus, vox ab acutiori et suavi in graviorem et ingratam mutatur.
2. Paraphonia *(rauca)* in qua, ob siccitatem vel tumorem faucium flaccidum, vox fit rauca et scabra.
3. Paraphonia *(resonans)* in qua, ob obstructas nares, vox fit rauca, cum sonitu per nares sibilante.
4. Paraphonia *(palatina)* in qua, ob deficientem vel divisam uvulam, plerumque cum labio leporino, vox fit rauca, obscure, et ingrata.
5. Paraphonia *(clangens)* in qua vox in acutam, clangentem, et exilem mutatur.
6. Paraphonia *(comatosa)* in qua, ob laxatum velum palati et glottidem, sonus inter inspirandum editur.

G. CXI. PSELLISMUS.

Verba articulandi vitium.

Species sunt,

1. Psellismus *(hæsitans)* in quo sermonis verba, præsertim prima, non facile proferuntur, et non nisi prima syllaba sæpius repetita.
2. Psellismus *(ringens)* in quo sonus literæ R semper aspiratur, et quasi geminatur

3. Psellismus *(lallans)* in quo sonus literæ L fit liquidior, vel loco literæ R pronunciatur.
4. Psellismus *(emolliens)* in quo literæ duræ in molliores mutantur, et litera S multum usurpatur.
5. Psellismus *(balbutiens)* in quo, ob linguam magnam vel tumefactam, literæ labiales magis audiuntur, et sæpe loco aliarum proferuntur.
6. Psellismus *(acheilos)* in quo literæ labiales vix vel non omnino pronunciari possunt.
7. Psellismus *(lagostomatum)* in quo, ob divisum palatum, literæ gutturales minus recte pronunciantur.

G. CXII. STRABISMUS.

Oculorum axes optici non convergentes.

Species sunt,

1. Strabismus *(habitualis)* a consuetudine prava oculo tantum uno utendi.
2. Strabismus *(commodus)* ab unius oculi, præ altero debilitate vel mobilitate majori, adeo ut uterque oculus non commode adhibeatur.
3. Strabismus *(necessarius)* ob mutatum situm vel figuram partium oculi.

G. CXIII. DYSPHAGIA.

Molestia deglutionem impediens sine respirationis læsione vel phlegmasia.

G. CXIV. CONTRACTURA.

Artûs unius vel plurimum contractio diuturna, rigida.

Species sunt,

1. Contractura *(primaria)* a musculis contractis, rigidis.
   - *a.* A musculis ab inflammatione rigidis.
   - *b.* A musculis a spasmo rigidis.
   - *c.* A musculis, ob antagonistas paralyticos, contractis.
   - *d.* A musculis ab acrimonia irritante contractis.
2. Contractura *(articularis)* ob artus rigidos.

ORD. IV. APOCENOSES.

Fluxus sive sanguis, aut humores alii, solito uberius profluens, sine pyrexia impetuve fluidorum aucto.

G. CXV. PROFUSIO.

Fluxus sanguinis.

G. CXVI. EPHIDROSIS.

Sudoris præter naturam evacuatio.
Species *idiopathica* unica est.
Ephidroses *symptomaticæ* variant, pro varietate morbi quem comitantur, et simul pro varietate sudoris eliciti, et quodammodo pro varietate partis maximè sudantis.

G. CXVII. EPIPHORA.

Fluxus humoris lachrymalis.
a. Idiopathica.

b. Symptomatica.

G. CXVIII. PTYALISMUS.

Fluxus salivæ.
a. Idiopathicus.
b. Symptomaticus.

G. CXIX. ENURESIS.

Urinæ a vesica fluxus involuntarius non dolens.
Species sunt,
1. Enuresis *(atonica)* post morbos sphincterem vesicæ lædentes.
2. Enuresis *(irritata)* a compressione vel irritatione vesicæ.

G. CXX. GONORRHŒA.

Humoris ex urethra, in maribus, cum vel absque libidine præter naturam fluxus.
Species sunt,
1. Gonorrhœa *(pura)* in qua, prægresso concubitu impuro nullo, humor puriformis, sine dysuria vel libidine, ex urethra subinde fluit.
2. Gonorrhœa *(impura)* in qua, post concubitum impurum, humor puriformis cum dysuria ex urethra fluit.

Hujus sequela est,
Gonorrhœa *(mucosa)* in qua, post gonorrhœam impuram, humor mucosus, cum minima vel nulla dysuria, ex urethra subinde fluit.
Anglis, a GLEET.

3. Gonorrhœa *(laxorum)* in qua, humor plerum-

que pellucidus, sine penis erectione, sed cum libidine, in vigilante, ex urethra subinde fluit.

4. Gonorrhœa (*dormientium*) in qua liquor seminalis cum erectione et libidine, in dormientibus, ex somnio libidinoso, ejicitur.

ORD. V. EPISCHESES.

Excernendorum suppressiones.

G. CXXI. OBSTIPATIO.

Dejectio fæcum nulla vel solito rarior.

Species sunt,

1. Obstipatio (*debilium*) in hominibus laxis, debilibus, et plerumque dyspepticis.
2. Obstipatio (*rigidorum*) in hominibus fibræ rigidæ sæpe hypochondriacis.
3. Obstipatio (*obstructorum*) cum symptomatis *Colicae 1mae, 2dae, 4tae*, vel *7mae*, supra dictæ.

G. CXXII. ISCHURIA.

Urinæ suppressio absoluta.

Species sunt,

1. Ischuria (*renalis*) prægresso renum morbo, cum dolore vel molesto gravitatis sensu in regione renum, et sine hypogastrii tumore, vel ad mingendum stimulo.

   Variat pro varietate causæ.

2. Ischuria *(ureterica)* prægresso renum morbo, cum doloris vel molestiæ sensu in quadam ureteris parte, et sine hypogastrii tumore, vel ad mingendum stimulo.
   Variat pro varietate causæ.
3. Ischuria *(vesicalis)* cum tumore hypogastrii, dolore ad cervicem vesicæ, et frequenti ad mingendum stimulo.
   Variat pro varietate causæ.
4. Ischuria *(urethralis)* cum tumore hypogastrii, frequenti ad mingendum stimulo, et dolore in aliqua parte urethræ.
   Variat pro varietate causæ.

G. CXXIII. DYSURIA.

Dolorifica et quodammodo impedita urinæ emissio. Species sunt,

1. Dysuria *(ardens)* cum ardore urinæ sine morbo vesicæ evidente.
2. Dysuria *(spasmodica)* a spasmo ex aliis partibus cum vesica communicato.
3. Dysuria *(compressionis)* a vicinis partibus vesicam prementibus.
4. Dysuria *(phlogistica)* a vicinis partibus inflammatis.
5. Dysuria *(irritata)* cum signis calculi vesicalis.
6. Dysuria *(mucosa)* cum excretione muci copiosa.

G. CXXIV. DYSPERMATISMUS.

Seminis in actu venereo tarda, impedita, et ad generationem insufficiens emissio.

Species sunt,

1. Dyspermatismus *(urethralis)* a morbis urethræ.
2. Dyspermatismus *(nodosus)* a nodis corporum cavernosorum.
3. Dyspermatismus *(præputialis)* ab angustiori præputii orificio.
4. Dyspermatismus *(mucosus)* a muco urethram infarciente.
5. Dyspermatismus *(hypertonicus)* a validiori penis erectione.
6. Dyspermatismus *(epilepticus)* ab epilepsia spasmodica in coitu adveniente.
7. Dyspermatismus *(apractodes)* a genitalium ignavia.
8. Dyspermatismus *(refluus)* in qua nulla seminis in coitu emissio, ob refluxum ejusdem ex urethra in vesicam.

G. CXXV. AMENORRHŒA.

Menses tempore quo fluere solent, vel solito parciores, vel non omnino fluentes, citra graviditatem.

Species sunt,

1. Amenorrhœa *(emansionis)* in puberibus quibus post fluxûs tempus solitum, menses non jam prodierint, et cùm simul variæ affectiones morbidæ adsint.
2. Amenorrhœa *(suppressionis)* in adultis, quibus menses, quæ jam fluere solebant, suppressæ sunt.
3. Amenorrhoea *(difficilis)* in qua menses parciùs et cum dolore fluunt.

ORD. VI. TUMORES.

Partis magnitudo aucta sine phlogosi.

G. CXXVI. ANEURISMA.

Tumor mollis, pulsans, supra arteriam.

G. CXXVII. VARIX.

Tumor mollis, non pulsans, supra venam.

G. CXXVIII. ECCHYMOMA.

Tumor diffusus, parum eminens, livescens.

G. CXXIX. SCIRRHUS.

Partis, plerumque glandulæ, tumor durus, non dolens, ægrè suppurans.

G. CXXX. CANCER.

Tumor scirrhodeus dolens, in ulcus mali moris abiens.

G. CXXXI. BUBO.

Glandulæ conglobatæ tumor suppurans.

G. CXXXII. SARCOMA.

Extuberatio mollis, non dolens.

G. CXXXIII. VERRUCA.

Extuberatio durior, scabra.

G. CXXXIV. CLAVUS.

Cuticulæ crassities dura, lamellata.

G. CXXXV. LUPIA.

Extuberatio subter cutem mobilis, mollis, non dolens.

G. CXXXVI. GANGLION.

Extuberatio durior, mobilis, tendini insidens.

G. CXXXVII. HYDATIS.

Vesicula cuticularis humore aqueo plena.

G. CXXXVIII. HYDARTHRUS.

Articulorum, genu potissimum, tumor, parum primò eminens, cuti concolor, dolentissimus, et mobilitatem imminuens.

Anglis, a WHITE SWELLING.

G. CXXXIX. EXOSTOSIS.

Tumor durus ossi insidens.

ORD. VII. ECTOPIÆ.

Pars ex sua sede dimota tumorem faciens.

G. CXL. HERNIA.

Partis mollis ectopia, cute et aliis integumentis adhuc tecta.

G. CXLI. PROLAPSUS.

Partis mollis ectopia nuda.

G. CXLII. LUXATIO.

Os ex sua in juncturis sede dimotum.

ORD. VIII. DIALYSES.

Solutio continui visu tactuve manifesta.

G. CXLIII. VULNUS.

Soluta unio recens, cruenta, partis mollis, a corpore duro moto.

G. CXLIV. ULCUS.

Partis mollis solutio purulenta vel ichorosa.

G. CXLV. HERPES.

Phlyctænæ vel ulcuscula plurima, gregalia, serpentia, dysepuleta.

G. CXLVI. TINEA.

In cute capillata ad radices capillorum ulcuscula, humorem, in crustam albam friabilem abeuntem, fundentia.

G. CXLVII. PSORA.

Pustulæ et ulcuscula pruriginosa, contagiosa, manus male habens.

G. CXLVIII. FRACTURA.

Ossis partes a cohæsione in magna fragmenta vi solutæ.

G. CXLIX. CARIES.

Ossis exulceratio.

LATIN AND ENGLISH INDEX.

J. M'Creery, Printer.
Black Horse Court, Fleet-street.